



Coll. diss. A  
159, 14

241. 159 (14)



Q. D. B. V.

ΠΕΡΙ ΧΑΡΙΕΝΤΙΣΜΟΥ  
ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ,

Seu

De eo, quod in Anacreonte  
venustum & delicatum  
est,

Divino Numine annuente,  
Inclyto Philosophorum Senatu  
permittente,

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

Moderante

DOMINO

M. LUDOV. CHRISTIAN. CRELLIO

SS. Theolog. Baccalaureo, Facult. Philosoph.

Affessore, Min. Princ. Collegii Collega, & Scholæ

ad D. Nicolai Rectore,

*Patrono & Præceptore suo maximopere  
colendo*

*prima vice disputabit*

CHRISTIANUS FRIDER. WILISCH,

Libstad, Misn. Bon. Art. & Philos. Baccalaur.

*Die VIII. Sept. Anno MDCCVI.*

---

LIPSIÆ, Literis JOH. ANDR. Bschau.

ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ  
ΕΠΙΧΡΕΜΑΤΩΝ

Επιχρέματα  
Ανακρέοντος

*Julianus in Misoprogone:*

Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη  
σεμνὰ καὶ χαρίεντα τρυφᾶν γὰρ ἔλαχεν ἐκ  
μισῶν.



M. LUDOV. CHRISTIAN. CRELLIO  
S. Theolog. Facult. Prof.  
Sächs. Landesbibl.  
C. W. WILSCHE  
C. W. WILSCHE



J. N. J. A.

S. L.



Uli optimos Autores Græcos & Latinos norunt, eorumque scripta ligato vel libero dicendi genere confecta eo, quo decet, studio ac judicio legunt, expressam illorum stylo rerum, quas tractant, quin & ipsorum scribentium ingenii imaginem videbunt. Pro ratione scilicet naturæ sanguinisque ac spirituum temperaturæ & resultante inde ingenii diversitate, rem sibi quisque congruentem describendam ac verbis ornandam suscipere solet, eamque vivis coloribus depingit, ac singulis nativam scribendo faciem reddit. Hinc quo majores in quolibet & ampliores vires sunt, eo aptius diversas etiam res diversis & cuilibet propriis formis induere ac feliciter repræsentare valet. Merito in hoc inter Poëtas post Homerum, Virgilium miratur Macrobius (1.) quod non solum diversissimos aliorum affectus, æquali dexteritate, vario effectu sistat, sed & quod in tanta styli dissimilitudine unus omnino inveniatur, qui eloquentiam ex omni genere conflaverit, singulisque rebus genuinam figuram externo orationis habitu reddiderit. Scilicet pro rerum diversitate, easque decore verbis exprimendi varietate distinctos in Autoribus characteres observarunt Græci & Latini Rhe-

A 2

tores:

tores: quos quidem illi pro diverso concipiendi modo varie distinxerunt.

(1.) *Saturnal. L. IV. toto & L. V. c. 1.*

§. II.

Qui internam rerum ac verborum istas exprimentium naturam profundius attendunt, vel trinam inde styli speciem nasci, vel quadrinam observant: quanquam posteriores non accurate satis varietatem illam distingvere videntur. Priores cum ipso Cicerone, (1.) Dionysio Halicarnassæo, (2.) Aufonio, (3.) Quintiliano, (4.) *sublimem, medium & tenuem*, vel cum eodem (5) Dionysio *austerum, politum seu floridum & communem stylum* dicunt: *sublimi, humilem, pingvem, horridum; medio incertum ac trepidum; tenui jejunum & siccum opponunt*. Posteriores vel cum Demetrio Phalereo (6) *ἰχνόν, μεγαλοπρεπές, γλαφυρόν, καὶ δεινόν*, tenue, magnificentum, formatum, & grave dicendi genera constituunt, eaque varie porro inter se permisceri perhibent: vel cum Macrobio (7) *stylum longum aut brevem, siccum aut pingvem* esse asserunt. Utrique autem vel ipsum styli distingvendi fundamentum confundere, vel membra saltem distinctionis sibi invicem male opponere merito existimantur. Macrobbii quidem certe ita comparata distinctio est, ut formam internam & externam styli, quantitatem item ac qualitatem confundat, ac inde siccum & pingve genus longo & copioso opponat, cum nihil obstat, quo minus longo ac brevi generi pingve quid ac siccum insit. Demetrius vero medium dicendi genus plane omittit, & ornatum contra addit, quod reliquorum tamen modo affectio quædam est, ut grave (Vossio (8) monente) potissimum ad magnificentum characterem pertinet.

(1) *Oratore ad Brut. p. 8. n. 20. edit. in usum Delph.* (2) *περὶ Δημοσίου. Δεινότη. p. 184. l. n. 13.* (3) *in Gryphou. 66.* (4) *L. 12. c. 10.* (5) *περὶ*

ἰσ

πὶ συνθέσεως c. 21. p. 172. Edit. Londinens. (6) πρὸ ἐπιμνηστικῶν,  
Edit. Victorii p. 35. in Comment. Caselii p. m. 61. 62. (7) Saturnal.  
L. V. c. 1. p. m. 436. seq. (8) Institut. Orat. L. VI. c. 2.

### §. III.

Qui porro externam orationis figuram e varia quantitatatis, copia, numeri ac periodorum ratione ortam respiciunt, cum Morhofio (1) ac Masenio (2) *concisum, circumductum, & mediocre* (hoc enim rectius, quam cum Masenio argutum aut grande ponemus, cum illa e qualitate resultent, omniumque generum affectiones esse queant) agnoscunt. Quæ styli distinguendi ratio (3) Ciceronianæ isti, qua dicitur *Asiaticus, Atticus, Rhodius*, persimilis est, nisi quod hæc tam ad qualitatem, quam ad quantitatem pertinuisse, illa è sola quantitatis terminatione nata esse videatur. (4) *Attici* nimirum limati & emuncti nihil inane aut redundans ferebant. *Asiana* gens tumidior & jactantior vaniore etiam dicendi gloria inflata erat. Vagi ac fusi argutis sententiolis & concitatore orationis flumine plurimum delectabantur. *Rhodii* vero ista quasi extrema cernentes medium quoddam atque ex utroque mistum adjiciebant. Unde (5) Julius Severianus Romanum oratorem Asiatico presfiozem Attico copiosiozem esse jubet.

(1) Colleg. Epistol. p. m. 71

(2) Palest. Styl. L. II. c. 7. p. 175.

(3) Cic. in Bruto p. m. 20.

(4) Quintil. L. XII. c. 10. p. m. 896

(5) Prefat. Art. Rbetor.

### §. IV.

Sed ut ventorum naturam scrutati quatuor Cardinalibus ventis constitutis, plures admittunt medios pro regionum ac fluminum varietate diverso modo temperatos; ut Musices periti quinque in cithara constituere sonos, inter quos tamen commotis varie ac agitatiss nervorum spatiis multi alii intercedunt: ita tria ista dicendi genera sublime,

A 3

medi-

medium ac humile, vario verborum ac numerorum temperamento adficiuntur, diversæque inde orationis formæ nascuntur. Potest in sublimi jam asperitas quædam regnare, jam dominari vehementia, jam vigor virtutem exercere, jam splendor singularis effulgere: ut omnibus tamen sua insit sublimitas. Potest in medio ac humili jam nativa quædam apparere simplicitas, jam acumen quoddam emicare, aut pungere acrimonia, jam singularis quædam jucunditas ac suavitas sensus animumque occupare legentium. Prorsus ut mirum videri nemini debeat, clarissimum sua ætate artis Oratoriæ Doctorem (1) Hermogenem septem Orationis formas, σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἡθος, ἀλήθειαν, δεινότηθα, constituisse, inque singulis non modo septem illas partes ἔννοιαν, λέξιν, σχήματα, κῶλα, συνθήκην, ἀναπάσεις, ῥυθμὸν considerasse, sed et plures ideas quasi specialiores, ut sunt καθαρότης, εὐκρίνεια, σεμνότης, τραχύτης, σφοδρότης, λαμπρότης, ἀκμή, περιβολή, ἀφέλεια, γλυκύτης, δριμύτης, ἐπίεικεια, βαρύτης, adjecisse. Transformant enim omnino exterius & variant dicendi genus affectiones istæ, adeoque tres illas principes dicendi formas alio subinde atque alio habitu induunt, ut quamvis eædem sint, diversæ tamen, pro ingenii, quod easdem tractat, vel rei, cui aptentur, modo, quasi appareant.

(1) περὶ ἰδῶν p. m. 568.

### §. V.

Non sine summa jucunditate bonarum literarum studiosis ista in autorum lectione observare licebit: quam à plerisque illa hodie ut tricas & indignas observatu minutias negligi videamus. Mihi quidem cum inde ab illustri Misenensi optimorum Autorum lectio curæ cordique innocentissimæque delectationi fuerit; Cl. Præsidis ductu in Styli Collegiis, quæ habet, in secretiores ac intimio-

res



res illas Musarum delicias licuit παρακύψαι. Quare cum summis Patronis ac Mæcenatibus meis ob maxima, quibus me ornant, beneficia, studiorum aliquod specimen & industriæ simul Academicæ ratio edi nunc abs me debeat, pro ætatis & ingeii indole floridiorem paulo venustiorremq; sermonis Ideam dissertationibus binis declarare ac Poëtæ omnium, quos Græcia tulit, venustissimi exemplis illustrare exercitiū gratia constitui, F.D. F.

§. VI.

Περὶ χαρμεντισμῶν nimirum nonnulla hic meditari, cumque viris optimis bonarum literarum amantibus communicare visum fuit. Quam styli ἰδέαν in Demetrio Phalereo, Dionysio Halicarnasseo, atque Hermogene primum mihi occurrisset, dignamque accuratiori meditatione visam fuisse fateor. Ita enim (1) Demetrius dicendi genus, quod γλαφυρὸν appellat, per χαρμεντισμὸν definit, eaque re præcipuam aliquam *medii vel tenuis etiam dicendi generis affectionem* iudicat: a qua ipsum novam quasi formam induat, novaque adeo appellatione designari mereatur. Ita (2) Dionysius Halicarnasseus Polycratem, ἄχαριν ἐν τοῖς χαρμεντισμῶν δεομένοις esse, atque adeo χαρμεντισμὸν necessariam quorundam sermonum affectionem haberi agnoscit. (3) Deinde alio loco χαρμεντισμὸν πάντα ἐν σπερδῇ καὶ καλῶς γινόμενον αἴωρον πρᾶγμα καὶ πολεμιώτατον ἐλέω esse, & non in omnibus materiis locum habere docet. Et (4) Hermogenes mentionem injicit χαρμεντισμῶν, qui mediocri vel humili orationis generi insit, ut *quædam conspicua per totam orationem qualitas, vel color per universum corpus diffusus.*

(1) περὶ ἑρμηνείας §. 128. (2) in Ἰσαίῳ p. m. 111. lin. 44.

(3) in Ἰσοκράτῃ p. m. 99. lin. 1. (4) περὶ ἰδεῶν L. II. c. 5. p. m. 401. in fine.

§. VII.

§. VII.

Cuilibet autem vel metacente patet, χαριεντισμὸν ἀπὸ τῶν χαρίτων Græcis dici. χάρις autem vel χάρεις illis sunt, quicquid in oratione vel quacunque re leporis, elegantiae ac venustatis est: inde χαρίεντα λόγον Aristophanes, inde χαρίεντας homines festivos, lepidos & dictis elegantes, sæpius appellavit Aristoteles: inde χαρίεν & χαρίεντως, idem ac gratiose, venuste, eleganter, urbane, facete, scite, lepide, (1) Suidæ est: verbumque χαριεντίζεσθαι, per jocor, lepidam urbanitatem in dicendo adhibeo, facete ac venuste aliquid dico, εὐτραπέλευμαι, festivis & venustis facetiis utor, (2) Phavorino explicatur: quo significatu (3) Dionysius Halicarnasæus utitur, ubi reprehendit Lyfiam, χαριεντίζόμενον ἐν ἑ χαρίεντι καιρῷ. Inde igitur nata vox χαριεντισμός, quam Etymologicè cum Phavorino explicamus per λόγον εὐτραπέλλον, ἐν ᾧ διαχέεται ὅτε λόγων καὶ ὁ ἀκρόων i. e. orationem venustam, qua delectatur dicens & audiens.

(1) in voce χαρίεις. (2) in χαριεντίζεσθαι. (3) Lys. p. m. 86. lin. 20.

§. VIII.

Sed probe hoc loco cavendum nobis videtur, ne quis insigni vocis χαριεντίζεσθαι ambiguitate adductus male capiat, quæ περὶ χαριεντισμῶ deinceps sumus commentaturi, neve, quam nos præstantissimam ornati sermonis ἰδέαν putamus, pro scurrilitate, dicacitate, & dicteriis, quæ non referuntur ad finem honestum, habeat. Nimirum tum vox χαριεντισμός, tum εὐτραπέλεια, per quam illam explicuimus, sæpe vel pro dicteriis acerbioribus ac mordacibus, vel in malam prorsus partem à Græcis ac Latinis Rhetoribus accipitur. Inde Phavorino χαριεντίζεσθαι idem est ac σκώπτειν, & χαριεντίζόμενοι iidem, qui σκώπτοντες ὡς Ἄριστοφάνης: imo Suidæ χαριεντίζεσθαι per καλαπαίζεσθαι καὶ βωμολοχεύεσθαι illudere ac scur-

scur-

scurriliter loqui explicatur, id quod (1) ab Aristotele alterum τῆς εὐφραπείας extremum constituitur atque ita describitur: βωμολόχοι τῶ γελώῳ ὑπερβάλλοντες δοκῶσιν εἶναι Φορβικοί, γλιχόμενοι πάντως τῆ γελώῳ, καὶ μᾶλλον σοχαζόμενοι τῆ γέλωτα ποιῆσαι, ἢ τῆ λέγειν εὐχρήμονα. His opponuntur οἱ ἐμμελῶς παίζοντες, εὐφράπελοι, ἐπιδέξιοι, ἐλεύθεροι, εὐφροποι καὶ χαρίεντες. Variæ scilicet sunt χάριτες, diversumque in usum ab Autoribus adhibentur. Alias graviores ac grandiores dixeris, alias leviores ac viliores, quasdam etiam illis non immerito interposueris medias.

(1) *Ethicor. Nicom. L. IV c. 14. p. m. 32 edit. Casaub.*

### §. IX.

Grandiores vel ad dignitatem atque amplitudinem adhibentur, vel ad exacerbandum, Ad priores cum (1) Vosio illud Virgilii (2) referas:

*At Venus Ascanio placidam per membra quietem*

*Irrigat, & solum gremio Dea tollit in altos*

*Idaliæ lucos; ubi mollis amaracus illum*

*Floribus, & dulci adspirans complectitur umbra.*

In quibus profecto Poëta venustissima quæque cogitata & verba ad exprimendam decorè & augendam magnificè Deæ curam, quâ Ascanium complexa fuerat, adhibet, & non minorem delectationem quam dignitatis sensum animis legentium ingerit. Spectat & eò, quem (3) A. Gellius miratur, (4) Homeri locus:

Οἴη δ' ἄρ' ἔμελλε εἶσι καὶ ἕρεος ἰοχέαιρα,

ἢ κατὰ τῆ ὕψητον περιμήκετον, ἢ ἐρύμανθον

τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείης ἐλάφοισι

τῆ δὲ θ' ἄμα Νύμφαι κῆραι Διὸς Αἰγιοχόισι

ἄγρονόμοι παίζουσι. γέγηθε δέ τε φρένα λητῶ

Πασάων δ' ὑπερῆγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,

ῥεῖα δ' ἄριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

B

Quibus

Quibus verbis Homerus & Dianæ Majestatem æquat, & venerationis comitatusque ejus venustatem ad vivum exprimit. Posterioribus illæ erunt accensendæ Charites, quas (5) Demetrius Phalereus Φοβερωτέρας appellat, & ab Homero inventas esse asserit, qualis in eo occurrit, quando (6) Poëta Polyphemum donum hospitale Ulyssi parantem sic loquentem inducit:

ἴπν ἐγὼ πύματον ἔδομαι, μετὰ οἷς ἑτάροισι,  
τὰς δ' ἄλλας πρόθεν. τόδε τι ξεινῆιον ἔσται.

Hæc scil. χαριέντως dicta adhibet Homerus ad terrorem, uti (7) Xenophon ad δεινότητα. Cujus exemplum gravissimum Demetrius adducit illud: Induciis cum Coryla factis in convivio varii generis saltationes cum essent institutæ, in medium producebatur pulcherrimè ornata mulier, levem manu clypeum ipsa ferens & facillimè saltans pyrrhichen cum plausu omnium maximo. Ibi tum quærebat Paphlago quidam: nunquid una cum Græcis etiam mulieres prælia inirent? cui illico respondentem aliquem introducit Xenophon: αὐται γὰρ καὶ ἔτρεψαν τὸν βασιλέα ὑμῶν. E quo tam venusto responso duplex vehementia elucescit, una, securitas fuisse non mulieres, sed Amazonas, quæ in pugnam una descenderant: altera adversus regem, qui adeo nullarum virium fuerit, ut & à mulieribus in fugam conversus sit.

- (1) in Instit. Orat. L. VI. c. 7 p. 291. (2) L. I. Æneid. v. 695.  
(3) Noct. Attic L. IX. v. 9. p. m. 477. (4) Od. ζ. v. 106.  
(5) περὶ Ἑρμην. §. CXXX. p. 120. (6) Udyss. I. v. 369.  
(7) de Exped. Cyri L. VI. p. m. 371.

### §. X.

Leviorum ac viliorum Charitum exempla duo è Lyfia Oratore, qui (1) Caselio Judice vix unquam ab humili dicendi genere affurgit, exempla adducit Demetrius (2) primum in descriptione vetulæ Æschinis amasiæ: ἥς ῥᾶον τὰς  
ὀδόν-

ἄντας ἀριθμῆσαι, ἢ τῆς χειρὸς τὰς δακτύλους. Alterum in expreffo hominis nequam caractere, ὅς ὅσας ἀξίος ἦν λαβῆν πληγὰς, τοσάυτας εἶληθε δραχμάς. Plura autem in Comicis, inprimis in Aristophane prostant, ubi pro more veteris Comœdiæ tantum non omnia falſa, feſtiva, mordacia, & potiffimum ubi de Socrate agit, maledica ſunt. Unde & factum puto, ut Rhetores peculiarem ironias ſpeciem χαριεντισμὸν appellarint, (3) irriſionem ſcilicet cum amœnitate mordacem, quâ duriffima quæque gratioſis verbis non ſine fale tamen ac pipere molliuntur.

(1) notis in Demetrium p. m. 154. (2) περὶ ἑρμην. c. 128. p. 118.

(3) de qua Voſſius Inſtit. Orat. L. IV. c. XIII. n. 3. p. m. 215.

### §. XI.

Nos autem illas in hac quidem diſſertatione non attendimus, nec Poëtæ, cujus dicendi caractere hic examinandum ſumſimus, ea fuit indoles; Verum ad modeltiores, temperatiores, caſtiores, atque inter grandes Oratorum vilesque Comicorum Charites medias pronum ipſi fuit æque Charitibus ipſis quaſi inſpiratum venuſtiſſimum ingenium. Inde & venuſte, jucunde, grate apud ipſam omnia dicta, caractere concinno, ſcito, compto, polito, nitido, feſtivo, urbano, eleganti, oratione molli ac delicata, miroque ingenii flore omnia expreſſa. Quare merito (1) Hermogenes ἡδονὴν καὶ ἄραν ἐν λόγῳ, ἀβρότητα καὶ γλυκύτητα, κεκοσμημένον καὶ περικαλλέα λόγον, vix ab idea orationis, quam nos jam declaramus, differre exiſtimat: atque (2) Demetrius περὶ χαριεντισμὸν γλαφυρὸν λόγον καὶ ἰλαρὸν intelligit, & ipſe denique (3) Dionyſ. Halicarnaffeus ſub χαριεντισμῶ ἡδονὴν, τὴν ἄραν, τὴν εὐφορίαν, τὴν γλυκύτητα, & alia ejusmodi complectitur.

(1) περὶ ἰδεῶν L. II. c. V. p. m. 417. (2) περὶ ἑρμην. c. 128. p. m. 118.

(3) περὶ ſυνθρο. ὀνομάτων p. m. 9. lin. 13.

§. XII.

E quibus jam haud obscurum esse potest, quæ χαριεντισμὸς natura sit, quaque definitione exprimi illa debeat. Etenim inter ipsa dicendi genera, quod Demetrius fecit, χαριεντισμὸν ita referendum non putarim, ut magnifico, medio ac tenui stylo iste ceu distinctus opponatur, jamque specialem dicendi formam constituere credatur. Ad affectiones potius tribus istis dicendi generibus communes illum retulerim, omnibusque istis cum quadam tamen inflexa magis ad medium & humile inclinatione, convenire existimarim. Idem sensisse (1) J. C. Scaliger in exactissimo Poëtices opere videtur, venustas, inquit, stylis omnibus communis est. Est quasi nativa infimo, artificiosa altoquo, temperata ex arte modica nativaeque mediocri characteri. Nec desunt imprimis in Poëtis, quibus virtus hæc propria & peculiaris est, exempla luculentissima. Nos illa vel è solo Virgilio repetamus. Ecce igitur mollioris venustatis in imo dicendi genere favissimum Exemplum: (2)

*Tibi lilia plenis*

*Ecce ferunt Nympha calatbis, tibi candida Nais  
Pallentes violas & summa papavera carpens,  
Narcissum, & florem jungit benè olentis anethi.  
Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis  
Mollia luteola pingit vaccinia Caltha.*

Ex eodem divino Poëta has habemus mediocris styli delicias: (3)

*Ecce supercilio clivosi tramitis undam  
Elicit: illa cadens rancum per levia murmur  
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.*

Nec desunt infinita in sublimi etiam characteris suavitatis summæ vestigia e quibus hæc jam legisse sufficiat: (4)

*Qua*

Qualis spelunca subito delapsa columba,  
 Cui domus & dulces latebroso in pumice nidi  
 Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis  
 Dat tecto ingentem, mox aëre lapsa quieto  
 Radit iter liquidum, celeres neq̄ commovet alas.

Quæ quidem exempla docent χαριεντισμὸν magis natura ad mediocrem & humilem dicendi characterem esse accommodatum, ad sublimem tamen etiam arte interdum elevari. Quod ipsum vetustissimi Græcorum Rhetores suo olim calculo comprobarunt. Retulit nobis eorum sententiam Demetrius (5) quamvis eandem suo iudicio, sed male (6) non approbat: τὸν μὲν γὰρ γλαφυρὸν τῷ ἰχνῷ προσ- νέμοντας μᾶλλον περιhibet ῥήτορας. ὡς τῆ γλαφυρῆ μὲν μικρότητα πινὰ καὶ κομψίαν ἔχοντος. Et Caselius (7) in Demetrium commentatus in humili genere tenuitatem & plusculum modicæ elegantix; in medio filum orationis non prorsus tenue, sed tenue & elegans agnoscit, politioemque illum cultum tenui magis attribuit.

(1) L. IV. c. VI. p. 461. (2) Ecloga II. v. 45. (3) Georg. I. v. 108.  
 (4) L. V. Æn. v. 213. (5) περιέξημην. § 36. p. 35. (6) Vosio cen-  
 sente Institut. Orat. L. VI. c. VII. §. 2. p. 292. (7) p. m. 65.

### §. XIII.

Ad hunc tamen in dicendo χαριεντισμὸν quatenus medio potissimum ac humili sermonis generi inest, constituendum variæ orationis Idææ concurrunt. Nimirum ut optime (1) Hermogenes observat: καὶ δὲ ἅπασαι αἱ ιδέαι τῶν λόγων δι' ἀλλήλων ἐνεργίζονται. Difficillimumque est apud Oratorem vel Poëtam tale dicendi genus invenire, quod in una sola forma plurimum permaneat. Varietate isti multa exornant, & fere in unaquaque parte orationis plura ornamenta adhibent, puichreque temperata formarum mixture utuntur, ita ut omnes quasi inter se cohæreant, & tan-

quam naturali quadam corruptione mixtae unum efficiant dicendi genus, idque pulcrum atque politum. Ex Ideis quidem Hermogenis ad *χαριεντισμὸν σαφίνεια*, quam *καθαρότης* & *εὐκρίνεια* constituunt, omnibus fatentibus pertinet. Quin ex illis etiam Ideis, quae τὸ μέγεθος ipso censente efficiunt, *λαμπρότης καὶ ἀκμή* seu orationis quidam splendor ac flos vegetior vel ipso Hermogene iudice (2) ad *χαριεντισμὸν* merito referentur. Ἀλήθειαν verò καὶ τὸ ἥθος, cum plerisque suis ideis specialioribus ad *χάριν* orationi vel carmini conciliandam imprimis requiri, quis sanus negaverit? vel sola earum nomina istud evincunt. Quis enim *ἀφέλειαν* seu simplicitatem, *ἐπιείκειαν* seu modestiam, *δριμύτητα* seu acumen, quis imprimis *γλυκύτητα* seu suavitatem, *χάριτας* suas orationi afferre non intelligit? (3) Dionysius certe gravissimus antiquorum Rhetorum id accurate iudicasse videtur, quando sub voluptate τὴν ὄραν, τὴν χάριν, τὴν εὐσομίαν, καὶ τὴν γλυκύτητα complectitur. Quae omnia in Poëtis potissimum locum habere quivis facile perspicit.

(1) *περὶ ἰδεῶν* L. I. c. 3. p. 262. & 362. (2) *l. c. c. IX. & X. p. 305.*

(3) *de structura Orat. c. XI. p. m. 71.*

#### §. XIV.

Nunc enim & istud nobis disquirendum est, penes quos ille *χαριεντισμὸς* inveniatur. Occurrit ille in oratoribus, saepe comparet in Historicis, sed regnat quasi in Poëtis, quorum illud quodammodo proprium est, ut placere & delectare studeant. Inter oratores Isocratem maxime ob *χαριεντισμὸν* (1) commendat Dionysius, cui assentiuntur Cicero & Quintilianus: quorum (2) ille Isocratem primum inconditam antiquorum in dicendo consuetudinem *delectationis* atque aurium causa numeris adstrinxisse; (3) hic vero eundem, quod auditoriis non iudiciis scriberet, *omnes v-*  
*neres*



neres *sectatum* esse, nitido dicendi genere, perhibet. In quo quidem (4) Cæsari Scaligero etiam ad excessum laborasse visus est, qui *Isocratis orationem meretricem factam paucò pudore existimat*: quod tamen ejus judicium merito rejicit (5) Vossius; Cæterum Isocrati in Charitibus consequendis discipulos ipsius addit Ephorum & Theopompum (6) Caselius. De quorum scriptis, cum interciderint, nobis saltem nulla judicandi relicta facultas est. Tyrtamum, qui *διὰ τῆς Φράσεως Θεσπέσιον* Theophrastus dictus est, dulci quoque *χαριεντισμῶ* usum fuisse (7) Ciceroni atque (8) Lartio, haud imperitis eloquentiæ censoribus merito credimus. Lucianus *γλυκερὸν μέλιτος γλυκίων πειθώτε χάριν τε* in suis scriptis conjunxisse (9) viris doctissimis creditur: & Synesii Epistolæ (10) Photii judicio *χάριτος καὶ ἡδονῆς ἀποσάξσι*. Quod fortasse & de Plinii Panegyricis ac Epistolis perhibere poterimus: quarum quidem *venustate ac lepore* se penitus captum clarissimus illarum interpret (11) Catanæus ultro fatetur.

- (1) *de Structura Orat. c. XXIII. p. m. 203.* (2) *de Claris Orator. p. m. 12.* (3) *Institut. Orat. l. X. c. i. p. m. 744.* (4) *Epidorpidum L. III.* (5) *de Rhetor. Natura & constitut. p. 337.*  
 (6) *Commentar. in Phaler. p. m. 194.* (7) *de Cl. Orat. p. m. 50.*  
 (8) *L. V. Segm. 38.* (9) *Vide edit. Gravii post Prefat.* (10) *in Myriobiblo Cod. 26.* (11) *in dedicatoria Epist. p. 3.*

### §. XV.

Quo propius *historia* ad Poësin accedit, quippe quæ *solutum quodammodo carmen* Quintiliano (1) visa est: eo frequentius in illius Conditoribus *χαριεντισμὸν* deprehendere licet. Inter Historicos Græcos præcipua venustatis laude feruntur Herodotus & Xenophon. Ille quidem utrumque habere *τὸ ἡδὺ καὶ τὸ καλὸν* dicitur (2) Dionysio: sine ullis *salebris*, quasi sedatus amnis ferri videtur Tullio: (3) omnia in

eo

eo leniter fluere, ipsaque ejus *διάλεικτος* eam habere jucunditatem censetur (4) Quintiliano, ut latentes etiam numeros complexa videatur: unde *θαυμασιώτατος καὶ μελίγηνος* appellatur Athenæo. (5) Huic è latinis Historicis comparari forte quoad dictionis *χαριεντισμὸν* possit Vellejus Paterculus, cujus elegantem dictionem laudat Vosius, (6) puritatis & concinnæ dictionis *χάριτας* mirantur cuncti, qui quid sit elegans ac venustum intelligunt. Xenophontem verò adeo dulcem scriptorem existimant omnes, ut & ipsæ Gratia ejus sermonem finxisse perhibeantur Quintiliano, (7) & sermo ejus melle dulcior credatur Ciceroni: (8) Musa denique ejus ore locuta, ipseque Musa & apis Attica appellandus videatur Sapientioribus. (9) Non absimilem huic inter Latinos J. Cæsarem Styli ratione existimat Vosius (10) *Uterq; enim, ait, purus est & elegans, & cum lenitate quadam fluit: Sed hoc differunt, quod Cæsar gravior aliquanto sit, & Xenophon suavior.* Quare etiam canere hic historias dicitur Apulejo (11): qui, *canit*, inquit, *Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenocrate, Satyras, Xenophon historias*: Non quod versibus vel carmine suas contexuerit, sed quod *χαριεντισμῶ* seu dicendi suavitate proxime ad poëticam dicendi rationem accesserit.

- (1) *Institut. L. X. c. I.* (2) *de Structura Orat. c. X. p.m. 68.* (3) *de Oratore c. 39. p. 15.* (4) *L. IX. c. 4. p.m. 697.*  
 (5) *Lib. III. passim.* (6) *de Historic. Latin. L. I. c. 24. p. m. 38.*  
 (7) *L. X. c. I. p. 745.* (8) *in Oratore c. 32. p. m. 12.* (9) *Laërt. II. 56. Suidas in Xenophon.* (10) *de Histor. Græc. l. I. c. V. p. m. 61.*  
 (11) *in Floridis L. III. n. 14. p. m. 246.*

#### §. XVI.

Poëtarum enim *χαριεντισμὸς* peculium quasi & propria virtus est. Hujus in Græcis & Latinis, in Epicis, Tra-

Tragicis, Comicis & Lyricis frequentissima notantur passim à doctis vestigia. Homero non deesse veneres suas graviores ac grandiores, (1) supra jam vidimus. Hesiodus etiam in hac dicendi characteris affectione plurimum elaborasse videtur Dionysio (2): Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἠδουῆς καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελῆς. Cui (3) Fabius assentitur, verborum Hesiodo lenitatem & compositionis elegantiam tribuens. Quibus si quis e Latinis Virgilium & Ovidium apponat, non pauciores forte in utroque Charites deprehendet. Inter *Tragicos Euripides* χαρίσσερος dicitur à Dionysio (4) & Caselio (5): quod vel inde credi facilius potest, quod dictio ejus minus grandis, nec multo sublimiur est Comica. Quem qui imitari voluit inter Latinos Seneca, dum sententiarum copia vincere ipsum studet, omnem fere venustatem amittit. Aristophanis inter acerbissimos sales quædam sunt etiam veneres: Quas feliciter confectatus est Menander: ejus autem imitator felicissime expresit Terentius: unde & Scaligero *dimidiatus Menander audit*, nihilque nisi dulcedinem ac delicias spirat, & ab ipsa natura ad purissimam simplicitatem & genuinas Charitas fingendas factus (6) aliis videtur.

(1) §. IX. (2) *de Structura Orat. c. 23. p. m. 201.* (3) *Instit. Or. l. X. c. 1. p. 758.* (4) *l. c. p. 205.* (5) *Comment. in Phaler. p. 194*  
 (6) *Reflexions sur la Poétique p. m. 216.*

### §. XVII.

Lyrici Poëtæ ut præ aliis dulces amores ac Charites describere, & à severioribus abstinere rebus soliti fuerunt; ita τῆ χαριστικῆ ἑπιπέμῃ usum potissimum sibi vendicarunt. Id scil. suavitas est in Lyricis, quod in Epicis gravitas, in Bucolicis simplicitas, in Elegiis mollities: in Comicis joci: in Tragicis affectus: in Satyricis acerbitas: in Epigrammati-

C

bus

bus acumen, unde & potissimum ob *χαριεντίσμον* commendantur Lyrici: Ut vel ex antiquo Carmine (1) singulorum fere proprietates & Characteras designante patet:

Ἐκλαγεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος, ἔπνεε τερπνὰ  
ἠδὲ μελιφθόγγε μῦσα Σιμωνίδεω.

Δάμπει Στησίχορός τε καὶ Ἴβυκος ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν  
λαρὰ δ' ἀπὸ σομάτων φθέγγατο βακχυλίδης.

Πειθῶ Ἀνακρείοντι συνέτπετο. ποικίλα δ' αὐδᾶ  
Ἀλκαῖος, κύκνος Λέσβιος, Ἄϊολίδι.

Ἀνδρῶν δ' ἐκ ἐνάτῃ Σαπφῶ πέλεν, ἀλλ' ἐξατενᾶς  
Ἐν Μῦσαις δεκάτῃ Μῦσα καταγράφεται.

*Pindarus è Thebis clamat: Simonidis autem  
Dulce melos pangit Musa canens fidibus.*

*Splendet Stesichorus, micat Ibycus, ἔϋ placet Alcman:  
Bacchilides leni suaviter ore canit.*

*Suada Anacreontem sequitur; fit Dædalus arte  
Alcaeus, Cygnus Lesbicus, Æolicus.*

*Nona virorum haud est Sappho: sed dulcibus ipsa  
In Musis decima est, Musa vocanda tamen.*

Quam quidem *χαριεστάτη* Poëmatis laudem cum aliis quibusdam suavissimis Poëtriis communem Sappho habuit: Quod nos itidem antiquum (2) ex *ανθολογία* carmen docet:

Τὰς δὲ θεογλώσσας ἑλικᾶν ἔθρεψε γυναῖκας  
ὕμνοις, καὶ Μοικεθῶν πιερίας σκόπελος.

Πρῆξιλλαν, Μυρῶ, Ἀνύτης σῶμα, θῆλυν Ὀμηρον,  
Λετριάδων Σαπφῶ κόσμον ἑϋπλομάμων.

Ἡρινναν, Θελέσιλλαν ἀγακλέα, καὶ σεκόριννα,  
Θῆριν Ἀθαναίης ἀσπίδα μελψαμένην.

Νασ

Νοσσίδα θηλύγλωσσον ἰδὲ γλυκυαυχέα Μύρτιν,  
Πάσας ἀειάων ἐργαπίδας σελίδων.  
Ἐννέα μὲν Μῦσας μέγας ἔρανος, ἔννέα δ' ἄλλας,  
Γαῖα τέκε θνητοῖς ἀφ' οὐραίου εὐφροσύνην.

*Has Helicon peperit divino Carmine Vates:*

*Pieria & Macedo parturit scopulus.*

*Praxillam, Myroque Anytenque exemplar Homeri,*

*Lesbiaci & Sappho, quæ decus omne chori.*

*Erinnam, Telefillæ ingens decus, atque Corinnam,*

*Quæ scutum armifono Palladis ore canit.*

*Nosfida fœmineis modulis & Myrtida dulcem,*

*Omnes victuras carmine perpetuo.*

*Ipsæ novem peperit Musas Polus: ipsaq; tellus*

*Æternas totidem dat tibi delicias.*

Inter omnes tamen Lyricæ Poëseos summæque suavitatis fama celebres *Sappho & Anacreon* palmam fere partiuntur. Sapphus quidem odas non temere extollunt Longinus (3) & Demetrius (4), quippe quæ & in pauculis quæ nobis reliqua sunt rarissimis & suavissimis deliciis stillat. At solus ferè Anacreon eruditos de jactura tot elegantissimorum Lyricorum solari potest. Nil nisi flores, Charites & amœnitates odaria ejus spirant: nativa illi inest ingenuitas: forma autem dicendi tam delicata, facilis & gratiosa, ut nihil fere in omni antiquitate illi comparari posse censeant Autores gravissimi. (5) Henricus Stephanus (6) Nosse, inquit, operæ pretium est, cum novem fuerint μελῶν scriptores, Anacreonti majores quam aliis concessas fuisse à Musis Carminum delicias. Unde ab antiquis modò γλυκὺς, aut ἡδύς, modo χαρίεις vocitatur; at vero Plato eum σοφῶν etiam ap-

pellatione dignatus est. Nec Renatus Rapinus (7) diffite-  
tur Anacreontis Musam *ingenuam & pulcherrimam esse*.  
Scio inquit, genus esse operum, quæ ex ipsius Characteris  
qualitate ingenue debent scribi, nulla alia intentione, quam  
naturaliter scribendi et sine vi adhibita: Tales odæ Anacre-  
ontis &c. J. C. Scaliger (8) summus Rei Poëticæ Censor,  
*Anacreon*, inquit, *non solum dedit plurima μέλη, sed etiam in*  
*ipsis mella: adeo is excelluit, ut ejus dictio quovis indica a-*  
*rundinis succo dulcior mihi videatur*. Gellius (9) Anacreon-  
tis lepidissimos versiculos, jucunda, dulcia & venusta carmi-  
na merito appellat. Longa-petræus, (10) doctissimus Gal-  
lus, quicquid quis dixerit, infra admirandam hujus Poëtæ  
venustatem fore existimat. Comment, inquit, pouvoir  
exprimer le bonheur & la nouveauté de ses imaginations?  
Comment pouvoir assez louer la finesse & l'agrement de ses  
tours, la délicatesse de ses pensées, & la justesse de son esprit.  
Mais sur tout comment faire concevoir & donner la moi-  
dre idée de cette belle & touchante simplicité de son ex-  
pression, de l'elegante & sublime facilité de son discours  
dicté par les Graces mêmes, & de ces charmes naturels & ve-  
ritables si propre à toucher le coeur, d'une foule enfin de  
beautés ou attachées à la plus belle langve du monde, ou in-  
separables des originaux? Doctissima Dacieria (11) Ana-  
creontis Poësin appellat, ce que la Grece a eu de plus poly &  
de plus galant; ce que les Graces les Ris & les jeux ont com-  
posé de plus parfait. Sed non id agimus, ut testimonia alio-  
rum de venustate Anacreontis conquiramus: Vel ista sola  
si colligerentur, Dissertationis modum excederent. Re-  
rum potius testimonia spectemus, & cum omnium judicio  
venustatis dux & parens fuerit Anacreon, undetam pulchra  
isti filia nata, quæ pulchritudinis istius partes sint, dispi-  
ciamus.

( ) Av.

(1) *Ανθολογ. L. I. p. m. 135.* (2) *L. I. p. 133.* (3) *περὶ ὑψους Sect. λ. p. 74.* (4) *Casellii Commentar. p. 195.* (5) *Quorum judicia vide dans Reflexions sur la Poëtique p. m. 235. 236.* (6) *in Praef. ad Anacreontem.* (7) *Reflexions sur la Poëtique d' Aristote L. I. §. 19.* (8) *Poet. l. I. p. 117. 122.* (9) *Noët. Att. L. XIX. c. 9.* (10) *Not. & version. in Anacreont. Praefat.* (11) *in Praefat. sui Anacreontis.*

§. XVIII.

Quod ut ordine fiat, quis ipse fuerit, quæ scripserit, brevibus est exponendum. Anacreon igitur quasi *Ἀνακρείων σκῆπτρον ἔχων*, juxta illud Homeri (I) *ἀναὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων*

*Ἔση σκῆπτρον ἔχων,*

Lyricorum Poëtarum rex & facile princeps ipso nominis lusu designatus, *Τέων* habuit patriam, urbem Joniæ in litorali ora sitam Plinio, (2) Stephano, (3) Straboni (4) aliisque satis laudatam; unde *Τέος*, *Τείος* & *Τήϊος* appellatur: quod ultimum nomen in errorem fortasse induxit Porphyrionem (5) Horatii Commentatorem, ut Anacreonti Tium Paphlagoniæ urbem in ora maris Euxini sitam patriam tribueret; quem confutatum vide à Baylio. (6) De tempore, quo natus sit Anacreon, in Olympiade certa statuenda maximopere certant Autores; quorum varias sententias refert & examinat Baylius: (7) In eo tamen omnes Platonis, (8) Æliani, (9) Herodoti, (10) ac Pausaniæ (11) autoritatibus convicti consentiunt, quod Polycrate Sami & Hipparcho Athenis regnante vixerit, illorumque usus consuetudine fuerit. Barnesio recentissimo Anacreontis editori, (12) accuratissimas temporum rationes ineunti, natus hic Poëta videtur Olympiad. LV. anno secundo, Romæ urbis conditæ CXCIV. captivitatis Judaicæ XLII. sed cautius forte in eo egit Baylius (13) qui in viri octoginta quinque annos supergressi natiuitatis anno adsignando, ubi res omnis ad conjecturas abit,

præciso Olympiadis cujusdam termino alligare se noluit. In Parentibus Poëtæ nostri declarandis major etiam occurrere difficultas videtur. Svidas (14) equidem *Scythinum* ejus Patrem vocat, sed tres alios addit, *Eumelum*, *Parthenium*, *Aristocritum*, qui dubia de Anacreonte filio palma certant. *Ἡρόδωτος* de Novem Lyricis Græcis (15) Parthenium ipsi Patrem, matrem Eetiam adstruit:

Παρθενίῳ πατρὸς λιγυρῶς παῖς, Ἡετίας τε,  
Ἦν ἄρα μελπόμενος Τῆος Ἀνακρείων.

Doctissima Dacieria (16) ut singulari hunc Poëtam amore profecuta videtur, ita summam ipsi generis nobilitatem regiosque atavos vindicare conatur. Ad istum sc. Platonis locum provocat, (17) ubi Socrates Charmidem allocutus hæc de ejus familia perhibet: *ἡ πατρῴα ἡμῶν οἰκία, ἡ κριτίας τε Δρωπίδα, καὶ ὑπὸ Ἀνακρέοντος, καὶ ὑπὸ Σόλωνος, καὶ ὑπὸ ἄλλων πολλῶν ποιητῶν, ἔγκεκωμιασμένη παραδέδοται ἡμῖν, ὡς διαφύρασα κάλλιτε καὶ ἀρετῇ, καὶ τῇ ἄλλῃ λεγομένῃ εὐδαιμονίᾳ.* Quæ ista versione ad scopum suum accommodat Dacieria: Du côte de vôtre Pere vous descendes avec Critias de l'ancienne famille de Dropidas, d'Anacreon & de Solon, qui s'est toujours distinguée des autres, par sa beaute, par sa vertu & par ses richesses. Approbat hanc versionem, quod miramur, Cl. Barnesius, (18) cum tamen vel à Bailio (19) meliora moneri, vel ab ipsâ Græci textus inspectione saniora doceri potuerit: quippe in quo nihil aliud dicitur, quam quod Critiæ domus ab Anacreonte, Solone aliisque Poëtis celebrata sit. Sed mala forte Serrani versio glaucoma hic oculis offudit: ita enim ille: *Paternum genus quod cum Critia commune habes à Dropida & Anacreonte & Solone, multisque aliis celeberrimis Poëtis deducitur.* Quod Græcis quidem verbis clarissime repugnat. Nec firmat Barnesii sententiam

tiam



tiam argumentum ab ipso allatum, quod Dropidas Solonis frater fuerit. Quid obstat enim quo minus suam quoque familiam æquis laudibus ipse Solon ornaverit?

- (1) *Iliad.* β. 100. (2) *Hist. Nat. L. V. c. 31 p. m. 620.* (3) *de urbibus.*  
(4) *Lib. XIII. f. 644.* (5) *vide Gyraldum de Poët. Dial. X. p. 470.*  
(6) *Diët. Critiqu. in Τεος.* (7) *in Anacreon sub. lit. B.* (8) *in Hipparcho p. m. 228. edit. Serran.* (9) *V. H. Lib. VIII. 1. 2. p. m. 484. edit. Perizon.* (10) *L. III. c. CXXI.* (11) *L. I. c. 2. p. m. 6. edit. Kubn.* (12) *in vita Anacreontis præmissa editioni suæ Cantabrigiæ 1705. in 8vo. §. 5.* (13) *Diët. in Anacreont. lit. B.* (14) *in Ἀνακρέων.* (15) *Ἀνθολογ. l. c.* (16) *in vita Anacreontis, quam carminibus ipsius in sua editione præmisit.* (17) *in Dialog. Charmides, T. II. p. 157. edit. Serran.* (18) *vita Anacreont. §. 3.* (19) *Diët. Anacr. lit. K.*

### §. XIX.

Sed ut Homeri gloriam non obfuscavit, quod septem de illius stirpe urbes certent; ita nec Anacreontis laudibus incerti parentes quicquam detrahunt. Servant has ipsi indoles proba, ingenium ornatisimum, forma & vultus, quantum ex imaginibus & nummis hodie extantibus conjicere licet, amabilis, gravis, hilaris: studia literarum & sapientiæ, quæ tum non minus in Jonia, quam ipsa Græciæ Academia florebant, profectusque in iis singulares & prorsus egregii. Unde factum putamus, ut ipsius (1) Platonis judicio σοφός appellaretur: ejusque consuetudo à viris principibus expeteretur. De Polycrate quidem luculentum habemus Æliani (2) testimonium: Πολυκράτης ὁ Σάμιος ἐν Μυσαίῃς ἦν, καὶ Ἀνακρέοντα ἐτίμα τὸν Τήϊον, καὶ διὰ σπυδῆς ἦγε, καὶ ἔχαιρεν αὐτῷ, καὶ τοῖς ἐκείνου μέλεσιν. De Hipparcho autem, Pisistrati filio ex Phædone sapientissimo, Plato (3) nobis refert: ἐπ' Ἀνακρέοντα τὸν Τήϊον πεντηκόντορον σείλας ἐκόμισεν εἰς τὴν αὐτῆ πόλιν: eo quidem fine, ceu pluribus docet Plato, *ut cives sui sapientiæ veræ studiis ab eo imbuerentur.* Cujus sapien-  
tiæ

tiæ

tiæ vel in iis, quas reliquas habemus, pauculis odariis non  
 pauca deprehendimus vestigia, in quibus vitæ hujus vanita-  
 tem, curarum & tædii ultro nobis contracti absurditatem,  
 honorum, divitiarum stultam cupidinem, invidiæ denique  
 ac aliorum vitiorum rabiem passim carpit, & ad vitæ tran-  
 quille, jucunde, ac amice exigendæ sapientiam mortales  
 hortatur. Amores ejus quanquam passim notent Autores,  
 multa tamen illis incerta subesse paulo inferius patebit: illud  
 quidem longe omnium incertissimum, quod Cl. Barnesius  
 (4) tradit, Anacreontem sero tandem cum fœmina prove-  
 ctioris paulo ætatis justum conjugium iniisse, & illam ex ani-  
 mo adamasse. E somnio Anacreontis descripto probat hanc  
 sententiam, quam rectius fortasse inter Poëtica insomnia re-  
 linquimus. Inter vitæ, quæ sustinuit, incommoda, dira  
 per Harpagum Cyri Ducem svavissimæ patriæ expugnatio  
 ac triste in florentissima atate exilium referenda potissi-  
 mum videntur. Strabo (5) illud nobis commemorat:  
 Ἡ Τέως, inquiens, ἐν χερρόνισσῳ ἰδρυται λιμένα ἐχουσα. ἐνθεν ἐστὶν  
 Ἀνακρέων ὁ μελοποιός, ἐφ' ἧ Τήϊαι τὴν πόλιν ἐκλιπόντες εἰς Ἄβδηρα  
 ἀπώκησαν Θρακίαν πόλιν, ἐφ' ἧ φέρουτες τὴν τῶν περσῶν ὕβριν. ἀφ' ἧ  
 καὶ τῆς εἶρηται. Ἄβδηρα καλὴ Τήϊαν ἀποικία. In ipsam quidem  
 Thraciam & ad sævissimos barbaros humanissimum inge-  
 nium attulit Anacreon, unde postea regiis muneribus &  
 conditionibus accersitus est ad Polycratem, Hipparchum a-  
 liosque, quorum in consuetudine vitam tranquillam satisq;  
 jucundam ad annum usque octuagesimum quintum (6)  
 perduxit, eamque tandem placide finivit, cum uvæ passæ  
 succo tenues & exiles virium reliquias fovens unius grani  
 pertinaciore in aridis faucibus humore absumeretur: (7) in  
 quem obitum hoc nobis Cælii Calcagnini carmen refert  
 Gyraldus: (8)

At

*At Te, Sancte Senex, acinus sub tartara misit,  
 Cygne a clausit qui Tibi vocis iter:  
 Vos hederæ tumulum, tumulum vos cingite lauri,  
 Hoc rosa perpetuo vernet odore loco.  
 At vitis procul hinc: procul hinc odiosa faceffat  
 Quæ causam diræ protulit uva necis.  
 Creditur ipse minus vitem nunc Bacchus amare  
 In vatem tantum quæ fuit ausa nefas.*

Locum tempusque, quo mortuus fuerit, à nemine consignatum dicit Baylius. (9) At Barnesius (10) Olympiadis LXXVI. anno quarto ipsum obiisse putat; sepulcrum ejus in urbe patria Teo fuisse ex illo Simonidis probat:

Οὗτος Ἀνακρείοντα, τὸν ἄφθιτον εἶνεκα Μυσῶν  
 Ὑμνοπόλον, πατρὸς τύμβος ἔδεκτο Τέω.

(1) Platon. Phædr. T. III. p. m. 235. C. (2) L. IX. V. H. c. IV. p. m. 530. edit. Perizon. (3) Opp. Tom. II. in Hipparcho p. m. 228. C. (4) Vita Anacreontis §. XVIII. Ἐ ad oden 44. (5) Geogr. L. XIII. p. m. 644. (6) Lucian. in Macrobiis p. 475 seq. (7) Val Max. Lib. IX. p. m. 819. (8) Histor. Poet. Dial. IX. p. m. 472. (9) Diction. Anac. lit. 7. (10) Vita Anacr. §. 40.

### §. XX.

Hic tam venusti ingenii Poëta plurima jucundissima sui monumenta ediderat. Svidas, ἔγραψεν, inquit, ἐλεγεία, καὶ ἰάμβους, καὶ ᾠδὰς, παρθενιά τε μέλη, καὶ τὰ καλεῖμενα Ἀνακρεόντεια, ἰάδι πάντα διαλέκτω. Multa in Polycratis laudem & fata, multa in Pisistraditarum familiæ decus scripserat. Quæ omnia partim temporis injuria, partim indoctorum nequitia hominum deleta, vel pio quodam Patrum Christianorum zelo suppressa sunt. Barnesio (1) præterea pium Ulyssis in Penelopen amorem nobili ab Anacreonte poëmate celebratum liquido indicare videtur Horatius (2) in istis:

D

Et

*Et fide Teia*  
*Dices laborantes in uno*  
*Penelopen, vitreamque Circen.*

Sed qui verba paulo accuratius expendit, dubitare fortasse de ista opinione poterit, cum fides Teia nihil aliud, quam Lyricum Carmen indicet, quo Horatius uti jubet suam Lucretilem. Idem (3) fragmentum aliquod adducit Carminis ab Anacreonte confecti, quod *Nicandri Scholiastes* conservavit & laudavit, cuique titulus fuerit ὕπνος. An verò & ῥιζοτομικὰ hic Anacreon scripserit, ut idem Scholiastes ad vers. 490. perhibet, vel quod Cl. Fabricio (4) placet, is alius Anacreon fuerit, dubium omnino & anceps iudicaturis videri poterit. Plures quidem Anacreontes in antiquitate celebrari haud certo satis constat, & medicam artem cum Poëtica, cujus utriusque Apollo Præses, conjungere Anacreontem potuisse, vero admodum simile Barnesio habetur. Cæterum odas aliquot pulcherrimas ex naufragio quasi elegantissimi Poëtæ primus nobis servavit *Henricus Stephanus*, miro quidem fato, sed ipsis Musis lætabili. Unam sc. Anacreontis odam, teste Victorio (5) in antiqui libri tegmine invenerat Stephanus, reliquas è duobus MSSCC. Cod. quorum unum à Joh. Clemente Anglo, Thomæ Mori contubernali acceperat, alterum ex itinere per Italiam attulerat, conguessit & Græce latineque, addita scil. sua & Eliæ Andreae versione latina, utraque Carmine Anacreontico confecta, edidit in quarto anno 1554. Ex quo deinde græce & latine frequenter admodum recusatus est Anacreon: Inter Lyricos ab eodem Stephano Anno 1556. octavo collectos, & sæpius alias. Inter quas editiones præ reliquis, quæ nobis quidem visæ sunt, notandæ videntur *Friderici Hermannii Flayderi*, Prof. Tubing. qui ad H. Stephani & Eliæ Andreae Metaphrases, suam quoque versionem profariam & notas aliquas ad-

didit,

didit, Tubingæ anno 1622. 12mo. *Anna Dacieria*, Tan-  
Fabr. filia, cum versione Gallica Prof. & notis pulcherrimis,  
anno 1682. 12mo, quæ recusa Amstelædami est Anno 1699.  
& sæpius. Cui & additæ notæ latinæ T. Fabri sunt, *Lon-*  
*gapetræi* Nobilis Burgundi, qui nitidissime eundem poëtam  
cum versione Gallica metrica & eruditis notis orbi erudito  
communicavit, Paris. 1684. 1692. 12mo. *Gvilielmi Baxteri*,  
Angli, qui versionem prosaicam brevesque stricturas le-  
ctionem textus firmantes sensumque illustrantes adjecit,  
A. 1695. Londini in 8vo. Recentissima est *Josua Barnesii*,  
Græc. Lingv. Cantabrig. Prof. Regii, qui, ut ipse (6) fate-  
tur, non sine longo tempore multisque vigiliis adhibita et-  
iam amicorum aliquot cura, Poëtam hunc summa cura &  
diligentia ad fidem etiam vet. MSC. Vaticani emendavit,  
aliquot justis Poëmatiis fragmentis plurimis ex Hephæstio-  
ne, Eustathio, Athenæo, Ammonio, Æliano, Scholiaste  
Pindari, Aristophanis, Nicandri, Dione Chrysofostomo, ve-  
teribus Grammaticis & undiquaque tandem conquisitis di-  
midia fere parte auxit, numerorum inprimis accuratissi-  
mam habuit rationem, vitam Anacreontis prolixè & erudi-  
te contexuit, doctam dissertationem de lyra, & Poësi ac  
Poëtis Lyricis præmisit, ipsum τῶν μέλων textum accurate re-  
censitum nitidissimo caractere expressit, versione prosaria  
latina explicavit, notis perpetuis Critico-Grammaticis illu-  
stravit, Iconibus pulcherrimis Anacreontis, celsissimi Prin-  
cipis Johannis Ducis de Marlborough, cui dedicatum opus  
est, ac Barnesii ornavit, suisque aliquot Carminibus Ana-  
creonticis Græcis ac Latinis Epinicio scil. in victoriam ad a-  
grum Blindhemiensem Marlborougho deportatam, Epita-  
phio in Anacreontem uvæ acino suffocatum, Anacreonte  
Christiano, id est, odis felicissime ad imitationem Anacre-

ontis expressis & amorem divinum spirantibus, denique quamplurimorum Epigrammatibus in Anacreontem ita locupletavit, ut non possit non omnibus amabilis esse hæc Anacreontis editio. De aliorum versionibus, editionibus, & laboribus in Anacreontem eo facilius nos nunc taceamus, quo cumulatius in hac re studioso Anacreontis Lectori à Viris celeberrimis Baylio & Fabricio locis à nobis superius adductis satisfactum putamus.

- (1) *Vit. Anacreont.* §. 32. (2) *L. I. od. 17.* (3) *p. 262. v. 1168.*  
 (4) *in Biblioth. Græc. p. 547.* (5) *Variar. Lectio. XX. cap. 17.*  
 (6) *Vita Anacr. &c. LXI.*

### §. XXI.

Omnes autem qui vel ediderunt, vel in alias linguas ad communes usus converterunt Anacreontem, aut quasdam ejus reliquias ex ingenti bonorum Autorum jactura velut naufragii tabulas conservarunt, suavissimum ejus χαριεντισμὸν agnoscunt, & jucundissimarum odarum delicias vix verbis satis exprimere possunt. Omnes Henrici Stephani (1) primi & doctissimi odarum Anacreontis Editoris judicium approbant: ἐν τοῖς μέλεσιν τῶν χαριεστάτων καὶ κομψοτάτων τῶν ποιητῶν πᾶσαι χάριτες ἐπανθῶσι, ἢ γλαφυρὰ αὐτῶν καὶ ἀνθηρὰ σύνθεσις τὰς εὐφώνους μόνον καὶ λείας καὶ μαλακὰς τῶν λέξεων ἀποδέχεται, πάντα τέρψιν τινα καὶ ψυχαγωγίαν προσφέρωντα. Equidem sublimitatem quoque Anacreonti tribuere videtur accuratissimus veræ sublimitatis censor Longinus (2): Quam ipse à se Anacreon statim sub odarum suarum exordium alienam esse fatetur, ubi se Heroica & sublimia sæpius scribenda suscepisse, at ingenio ad Charites & veneres procliviori prohibitum fuisse innuit: Unde & Rapius (3) cum summam Anacreonti venustatem tribuat, so-

li

li sublimitatem Pindaro inter Lyricos Græcorum Poëtas vindicat. Non diffitemur tamen esse quasdam Anacreontis odas, quæ altius quid & sublimius spirent, in quibusq; semetipsum supergressus videtur Poëta Charitibus natus. Sic ipse (4) Homericam sibi lyram tribui poscit in illis:

Δότε μοι λύρην Ὀμήρου  
Φοίνης ἀνευθε χορδῆς.

Et hymnus in Apollinem (5) Anacreonti à Barnesio vindicatus tam profecto sublimis est, ut Pindaricum characterem prorsus referat: quamquam an ad Pindari imitationem expressa sit, quod doctissima Dacieria, (6) ejusque parens Tanaquillus Faber (7) putat, nondum satis liquet, cum & CL. Fabricius (8) & plerique Chronologi Anacreontem Pindaro ætate aliquot Olympiadibus priorem judicent: in Fabro certe illud magis etiam mirandum, cum is (9) Anacreontem Pindaro omnino priorem agnoverit, indeque Barnesius (10) Pindarum potius ex Anacreontis imitatione profecisse existimaverit. Sed propria tamen Anacreonti virtus & ubique regnans Poëmatum affectio *χαριεντισμός* seu delicata venustas est. Nimirum & prodesse volunt & delectare Poëtae, imo saepe ut prodesse possint, delectare student, & saluberrimas lectoribus doctrinas utilissimæque vitæ monita nectare ac melle mista propinant. Hoc ut obtineant, res sublimes & gravissimas dulci quadam suavitate emolliunt, viles etiam & abjectas jucunda sublimitate tollunt & exornant: in utroque autem insigne artificium testantur, prorsus ut statuarii ac pictores, quorum alii cælo minantes statuas repræsentant, alii integras naves é minimo ebore subtilissima arte efficiunt, totamque molem vel muscæ alâ contegunt, utrique quidem ut grato spectaculo animo pariter oculisque inserviant.

- (1) in Praef. Graeca edit. in 4to. (2) περὶ ὑψους c. 31. n. 1.  
 (3) Reflexions sur la Poetique §. XIV. p. 31. & §. XXX. p. m. 236.  
 (4) ode 48. (5) edit. Barnes. od. 64. edit. Dacier, & Longepierre  
 od. 56. (6) in notis ad Anacr. p. m. 194. (7) in notis ad Anacr.  
 p. m. 314. (8) Biblioth. Grac. p. 531. 545. (9) Not. ad Anac. 268.  
 (10) not. ad Anac. od. V. v. 82. od. 64. v. 994. & 1016. & alibi.

## §. XXII.

Propria hic sua cuilibet virtus, & vel ad res grandes  
 sublime, vel ad res tenues ornate ac venuste exprimendas  
 ac repraesentandas innata dexteritas est. Nostro igitur  
 Poëta unde comtus ille χαρμεντισμός, unde suavissima ve-  
 nustas sit, omni nunc studio inquiramus. Tria nimirum  
 esse videntur, è quibus, quicquid in Anacreonte suave ac de-  
 licatum est, derivari commode queat. Primo ipsa natura  
 in Poëta nostro venustas: rerum deinceps, quas tractat, ele-  
 gantia: & modi tandem, quo illas tractat, jucundissima a-  
 moenitas. Naturam quidem ipsam plurimum ad Poësin  
 ejusque delicias conferre semper existimarunt eruditi & ipsa  
 nos docet rerum magistra experientia. Sic ipse jam Cice-  
 ro (1) à summis hominibus eruditissimisque acceperat, ce-  
 terarum rerum studia & doctrina & præceptis constare,  
 Poëtam natura ipsa valere & mentis viribus excitari. (2)  
 Poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum exi-  
 stere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. Quibus ver-  
 bis & εὐφύϊαν in Poëta & ὄρμην seu diviniorem impetum re-  
 quirere Cicero videtur. Et jam ante Ciceronem vir sum-  
 mus Plato (3) integro Dialogo poësin non arte, sed ενθουσι-  
 ασμῶ seu θεῶν μοίρᾳ μιμήσει, δυνάμει, constare docuerat; &  
 ne quis illud ad solos Epicos forte poëtas traheret, de utris-  
 que idem asseruerat. (4) Πάντες οἱ τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ ἔκ-  
 ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἐνθεοὶ ὄντες κτῆκα τεχόμενοι πάντα τὰυτὰ τὰ καλὰ  
 λέγῃ-



λέγῃσι ποιήματα. Καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὅσα ἑαυτοῖς, ὡς περὶ  
 οἱ κορυβαντιῶντες ἐκ ἑμφρονες ὄντες ὀρχῶνται, ἔτω καὶ οἱ μελοποιοὶ  
 ἐκ ἑμφρονες ὄντες τὰ καλὰ μέλη τὰυτὰ ποιῶσιν. Ἐκ μυσῶν κήπων  
 τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν, ὡς περὶ αἱ μέλι-  
 ται καὶ αὐτοὶ ἔτω πετόμενοι. Quo ultimo loco à Musis Poë-  
 tarum furorem accersit Plato, memor illorum, quæ in  
 Phædro (5) de quadruplici ἐνθουσιασμῶ perhibuerat, τῆς θείας  
 μανίας τεττάρων θεῶν τετταρα μέρη διελόμενοι. μαντικὴν μὲν ἐπί-  
 πνοιαν Ἀπόλλωνος, θέντες, Διονύσου δὲ τελεσικὴν, Μυσῶν δ' αὖ ποιητι-  
 κὴν, τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης καὶ ἔρωτος. Quæ quidem Platonis  
 sententia multis eruditissimis viris egregias de ἐνθουσιασμῶ  
 seu furore Poëtico meditationes peperit. Non nisi natu-  
 ram per istum ἐνθουσιασμὸν intellexisse videtur diligentissi-  
 mus (6) Platonis quamquam ingratus (7) auditor Aristote-  
 les. Universam enim poësin duas habere causas naturales,  
 suamque ingenium suam naturam, ut in quolibet alio ope-  
 re, ita in poësi potissimum Deum quodammodo cuique esse,  
 perhibet, (8) eosque qui in carmine pangendo excelluerint,  
*melancholicos* omnes fuisse, atraque bili velut vino genero-  
 siori ad animi istum impetum, quem alii Musis tribuant, ex-  
 citatos existimat. (9) Quod Vossius (10) ita interpretatur,  
 ut furorem à quinque istis provenire statuatur, à temperie seu  
 acrimonia humoris melancholici, ab effectu, ut ira vel amo-  
 re; à vino liberalius sumto ingenique torporem excutien-  
 te; ab instrumentis Musicis Spiritus animales motu suo  
 concitantibus; ab excellentium Poëtarum lectione. Quæ  
 rectius intelligentur, si ingeniosissimi *Morbosi* (cujus vo-  
 lumen de Enthusiasmo Poëtico (11) utinam lumen tandem  
 aspiceret) sententia admittatur. Distincto enim Enthu-  
 siasmo in naturalem & supernaturalem (12) hujus quidem  
 causas indagare, saltem proponere non audeat, istius autem  
 easdem

easdem cum Vosio causas superius à nobis recensitas agnoscit: Illud addit: Spiritus animales liquore isto melancholico agitados causam furoris principem habendam; reliqua, affectus scilicet musicam, vinum, Poëtarum lectionem, quibus & locum & tempus addit, instrumenta saltem vel administras superioris istius causas esse existimandas. Felicissime autem omnium *Petrus Petitus*, Medicus & Poëta Gallus, (13) Platonis, Aristotelis aliorumque de Enthusiasmo sententias conciliasse videtur, dum explosis veteris gentilium superstitionis de Apolline ac Musis ambagibus, vel Christianorum etiam (14) de geniorum præstigiis opinionibus, naturam auctori suo restituit, Deumque operi suo potiori fœdere jungit. Is nempe Poëticum furorem definit, (15) quod sit *animi à natura accommodati ad res Poëticas & divinitus illustrati ad pangendum carmen incitatio*. Ita naturæ relinquendas suas censet partes, ne Deus prorsus excludatur. Non ineptum judicat existimare aliquid divinum intervenire cogitationibus humanis; impium autem credit, nihil putare naturale, quod non sit penitus à divina operatione sejunctum & distractum. Id potius statuit: Quicquid alicui naturale & vernaculum est, id illi ipsi DEi munere tributum dici debere, eundemque hominem eandem ingenuitatem à natura habere & à DEO. A natura quidem, quatenus eam virtutem haud disciplina & labore adeptus est: à DEO autem, qua naturæ est autor, & ingeniorum discrimina & dotes diversas pro arbitrio suo dispensat ac temperat. Nimirum illud inficias ire haud possumus, rariora nonnunquam in Poëtis occurrere *σοχασμῶν* ac sublimioris *ἐνθουσιασμῶν* phænomena, quorum causæ non quibuslibet apertæ sunt. Memorabile est *Ronsardi* exemplum, de quo accepimus, eum insignes vicissitudines sensisse, ut  
totos

totos interdum sex menses unum tolerabilem versum face-  
 re non potuerit, furore autem correptus, torrentis more in  
 Musarum campos ruentis chartas inundarit, non ultra tri-  
 duum tamen hac felicitate durante: nec minus mirandum  
*Torquati Tassi*, felicissimi venustissimique Poëtæ Itali por-  
 tentosum ingenium: (16) qui cum in aula Ferrariensi dege-  
 ret, insigni in adolescentia furore correptus fuit, & nihilo-  
 minus per dilucida intervalla summo judicio, elegantia, &  
 castissimo stylo plurima & soluta & pedibus adstricta oratio-  
 ne scripsit, ut misericordiam, qua plerique ejus vicem pro-  
 sequebantur, tandem in stuporem verterit, dum furor ille,  
 qui in aliis mentes efferat aut hebetat, ingenium ejus ve-  
 luti defecatum in rebus inveniendis expeditius, inventis  
 apte dirigendis acutius & sententiarum gravitate ac verbo-  
 rum delectu ornandis copiosius redderet, ut, quod alius vix  
 summa cura & labore per otium extunderet, ipse post vio-  
 lentam mentis emotæ agitationem sponte ac felicitate mi-  
 ra perfecit, nec alienatione mentis perculsus, sed oestro  
 divino percitus videri potuerit. Non minus profecto pu-  
 tandum, quod Petrus Lotichius, Professor Academiæ Hei-  
 delbergensis, divino quasi quodam Spiritu afflatus, Magde-  
 burgi excidium multo antetempore cecinerit, ut vates. (17)  
 Sed quanquam hæc & plura alia singularis σοχασμῶν exem-  
 pla in quibusdam deprehendamus: non propterea tamen  
 ad causas supernaturales confugiendum, cum multæ in ani-  
 mis nostris vires lateant, quas ipsi ignoramus, reapse tamen  
 sæpe deprehendimus, & declarare etiam aliquantum, si cu-  
 ratius attenderimus, possumus.

(1) *pro Archia* c. 1. (2) *de Oratore Lib. II. c. 194. edit in U. Delph.*

(3) *in Jone* p. 530. edit. H. St. (4) *L. c. p. 533. in fine sq.* (5) *Opp.*

*T. III. p. 265.* (6) *Laërt. L. III. Sect. 37.* (7) *Laërtius L. V.*

*Sect. 2. (8) de Poëtica c. IV. p. 374. (9) Problem. Sect. XXX. p. 470. seq. (10) de Artis Poëtica natura & constitutione c. XII S. 6. p. m. 29. (11) quod confectum se habere dicit in oratione de Furore Poëtico p. 81. in fine. (12.) Orat. de Furore Poët. p. 77. (13) in dissertatione de Furore Poëtico Selectorum Poëmatum volumini præmissa. (14) v. g. Jacobi Masenii, qui in Palestra Eloquentia ligata usitatis apud Gentiles Deorum nominibus certa geniorum nomina substituenda svadet. (15) p. 79. (16) Thuan. Histor. Gall. f. 571. (17) vide Elegiam ejus IV. Lib. II. Opp. p. 42. seq.*

### §. XXIII.

Illud igitur tenendum, suam cuique indolem, suum ingenium  $\sigma\omicron\chi\alpha\sigma\mu\omicron\nu\ \eta\mu\acute{\iota}\ \epsilon\nu\ \theta\upsilon\sigma\iota\alpha\sigma\mu\omicron\nu$  præstare, nec opus furore quodam & animi quasi rabie esse. Quanquam enim præcipitandus liber Spiritus, ut furentis animi vaticinatio quodammodo appareat; semper tamen iudicium esse serenum oportet, ut & elevare & remittere mentis & dictionis impetum, pro rerum, quas tractamus, necessitate queamus. Cum verò ingenii vires, temperamenti plerumque rationem sequantur, quam & qualem Poëtæ naturam esse deceat, diligenter quæsitum est inter eruditos. Vossium cum Aristotele omnia fere ad melancholicum humorem & atram bilem referre supra (I) vidimus. Sed cum Aristoteles in sua Poëtica potissimum tragicum epicumque Poëma declarandum sibi sumserit, Tragicos etiam & Epicos præ aliis Poëtis cholericis agitari temperamento forte intellexit. In quo rectissime eum sensisse ipsa rei natura & exemplis Poëtarum adducti putamus. Cholericorum enim sanguis fluidior multisque sulphureis, oleaginosus, acidisque particulis calidior concitatorque motu vasorum compactiores poros penetrare, adeoque objectas superare diffi-

diffi-

difficultates creditur. Unde Poëta Cholericus honori potissimum & gloriæ serviens, decori studiosus, iudicio validus, alacris, constans, magnanimus, severus, ac profundiori meditationi aptissimus, res magnas, sublimes & decori nominique parando aptas scribere suscipiet, proculque ab adulatione remotus, vera dicere, facienda monere, vitia reprehendere, ac severiori virgula notare, Panegyricos non nisi maximis viris & ob res gestas singulares, vel nominis amplificandi sui, vel opum, quarum paulo cupidior est, augendarum gratia conficere studebit. Carmina sua summo studio curaque elaborabit, stylo sublimiori, metaphoris augustioribus, gravioribus sententiis utetur: Bella potissimum, clades & victorias, urbium incendia ac ruinas, regnorum fata, tempestates & horrendas turbas omniaque illa, quæ Poëmati nominique æternitatem pollicentur, versuum suorum monumentis posteritati commendabit. Quæ si quis cum Homeri, Virgilii, Claudiani, cum Sophoclis, Euripidis, Senecæ, ac Lohensteinii, Pindari, Horatii ac senioris Gryphii quibusdam laboribus, conatibus, stylo, ac sententiis conferet, tantorum virorum divina carmina naturæ potissimum ipsorum cholericomelancholicæ accepta ferenda agnoscat. Sed non idem omnibus Poëtis aptandus cothurnus, non eodem isti modo metiendi sunt. Aliud enim Poëtarum genus est, quod mollius, simplicius, lætius, ac delicatius appellare queas: quorum naturæ temperatura mitior ac puriori sanguine vel phlegmate prædita est. Sanguineos hic intelligo potissimum, quorum dilutior sanguis, vasa satis ampla, pori patentiores, vel sanguinis ac spirituum animalium flumen liberius, vivacius, ac leviori impetu cor, cerebrum totumque adeo corpus permeare, temperatiorique calore ac motu animales operationes obi-

re queat. Has naturales operationes morales ultro sequentur: è molliori sanguinis motu externæ quoque actiones leniores, liberiores, minusque coactæ erunt aut sollicitæ: ingenio magis pollebit Poëta sanguineus, resque varias ingenuas ac lepidiores apte componere, & illarum comparatione ornare eas per se invicem venusteque & delicate studebit exprimere: Imo vel tristioribus rebus ac injucundis de suo ingenio venustatem conciliabit. Quorsum merito Demetrius (2) illud Xenophontis refert, qui cum expertem risus personam & odiosam Aglaitadam Persam accepisset, risum tamen invenit ex ipso lepidum, ῥᾶον, inquit, ἐστὶ πῦρ ἐκ τρεῖψαι ἀπὸ σῶ, ἢ γέλωτα. Inde Ovidius vel ipsum Deucalionis diluvium, rem dirissimam, non sine venusta suavitate describit, & Hoffmansvaldius noster tristissimas quasque materias jucundissimo χαρμεντισμῶ exornat. Huc tota denique Theocriti, Musæi, Bionis, Moschi, Ovidii, Catulli, Tibulli, Joannis secundi aliorumque plurium Poësis Pastoralis, Elegiaca, Lyrica, amatoria pertinet. Quo loco tamen & illud notandum, quod prout sanguis ille vivacior vel bilis non nihil vel phlegmatis admistum habet, alia inde tum naturalium, tum moralium & artificialium actionum phænomena futura sint. Poëta certe cholericus-sanguineus felicissime ac venustissime ad res quaslibet Poëtico more inveniendas, exornandas, & repræsentandas imprimis aptus & idoneus erit. Nihil hic judicii, ingenii, Phantasiæ desiderabitur, nihil ferè ideis ac conceptibus, nec dictioni vel expressioni deerit.

(1) §. XXII. (2) de elocut. §. 134 p. 123.

§. XXIV.

Ad hanc igitur posteriorem ingeniorum classem Anacreontem nostrum si retulero, adprobantibus id forte bene-

benevolis Lectoribus multorumque aliorum iudiciis suffragium mihi ferentibus fecero. Testantur autem ejus levio-  
rem molliori que concitatum motu sanguinem & inclina-  
tum inde ad delicias & res jucundas animum quam plurima.  
Hinc lætus in Anacreonte conviviorum amor, crebra eo-  
rum decantatio: (1) hinc lætitiæ dator Bacchus ipsi præ a-  
liis cultus: & juncta ipsi venustior Cytheris, quibus sæpe  
suum furorem & vino scripta carmina tribuit: (2)

Ἄφες με τὸς θεῶς σοι  
Πιῖν πειν ἀμυσί  
Θέλω θέλω μανῆναί. item: (3)  
Ὅτ' ἐγὼ πῖω τὸν οἶνον  
Τότε μῦν ἦτορ ἰανθῆν  
Διγαίνειν ἀρχεται Μῦσαις.  
Ὅταν ὁ βάνχος εἰσέλθῃ  
Ἐυδοσιν αἱ μέριμναί,  
Δοκῶν δ' ἔχειν τὰ κρηίσμα  
Θέλω καλῶς αἰεῖδεν.  
Κισσοσεφῆς δὲ κῆμαι,  
Πατῶ δ' ἅπαντα θυμῶ. (4)

Præ his omnes alias Poetici ἐνθουσιασμῶν causas, quin ipsos  
Musarum fontes spernit: (5)

Οἱ μὲν καλὴν Κυβήβην  
Τὸν Ἡμίθηλυν Ἄττιν  
Ἐν ἔρεσι βοῶντα  
Λέγασιν ἐκμανῆναί.  
Οἱ δὲ κλάρα παρ' ὄχθαις  
Δαφνηφόροιο Φοίβης

Λάλον πίντες ὕδωρ  
Μεμνότες βοῶσιν.  
Ἐγὼ δὲ τῆ Λυαίᾳ  
Καὶ τῆ μύρᾳ κορεθεὶς  
Καὶ τῆς ἐμῆς ἐταίρης  
Θέλω θέλω μανῆναι.

Ex eodem fonte ille pecuniæ, curarum, invidiæ contemptus manavit: inde & conversatio cum principibus viris, aulicorum frequens consuetudo, moresque comtiores ac politiores derivandi sunt. Pecuniam quidem certe, quod sanguinei solent, magno animo contempsit noster, jucundam animi serenitatem vitæque tranquillitatem longe illi præferens: (6)

Οὐ μοι μέλει γύγασ  
Τῆ Σαρδέων ἀνακτος,  
Οὐθ' αἰεὶ με χρυσός,  
Οὐδὲ φθονῶ τυράννοισ,  
(7) Ὁ πλῆτος εἶγε χρυσῶ  
Τὸ ζῆν παρήγε θνητοῖς,  
Ἐκαρτέραν φυλάττων,  
Ἴν' ἂν θανεῖν ἐπέλθῃ  
Λάβῃ τι, καὶ παρέλθῃ,  
Εἶδ' ἔδὲ τὸ πρόιασθαι  
Τὸ ζῆν ἐνεσε θνητοῖς,  
Τί καὶ μάτην σενάζω,  
Τί καὶ γόγῃς προσπέμπω;  
Θανεῖν γὰρ εἰ πέπτωται  
Τί χρυσὸς ὠφελῆ με;

In



In quo quidem dum vitæ pretiosissimam possessionem auro ac opibus, pro quibus plurimi sanitatem vitamque ipsam temere profundunt, prætulit, ceteris paribus prudenter sapientissimeque sensisse putandus est. Aurum ac opes infinitæ ferè curæ sequuntur, sollicitudo certe comitatur anxia & perpetua. Nihil verò magis odiosum sanguineis quam animi moeror & molesta mentis turbatio. Quare & Anacreon sæpe istam animorum pestem detestatus est: nihilque in ejus odis frequentius occurrit, quam illud *σκεδάσαι θέλω μερίμνας.* (8) Inde forte factum est, ut cum Polycrates, literarum princeps amantissimus, Anacreontem relictis Abderitis ad se divertentem liberalissime exceptum quinque auri talentis donandum censeret, hoc munus ille regium, quod per duas noctes nimia cura metuve de illo tuendo distineretur, continuo remitteret, *μισῶν*, inquiens, *δωρεὰν ἥτις ἀναγκάζει ἀγρυπνεῖν.* (9) Quod *μικροψυχία* quadam factum, ait, in vita Anacreontis doctissima Dacieria, vero simile prorsus non ducit Cl. Baylius. (10.) Nos quidem præstantioribus ingeniis pecunias semper parvi æstimatas agnoscimus, imo ipsum Imperatorem Romanum Sigismundum summa quadraginta mille aureorum accepta insomnem permansisse, donec divisa inter duces amicosque pecunia melius demum acquiesceret, meminimus. (11) Anacreonti quidem nec opus fuisse ista pecunia, quippe qui ipsum regis animum possideret, & insigne sapientiæ documentum isto nummorum contemptu editum fuisse existimamus. Nam & solum sapientem divitem esse, ista re declaravit & aulicorum invidiam prudenti viro sollicite cavendam ista animi celsitate evitavit. Quam ut abs se merito aver-

ten-

tendam statuit, ita neque ipse sanguineæ temperatione naturæ ductus cuiquam invidere voluit: (12)

Φθόνον ἔκ οἷδ' ἐμὸν ἦτορ,  
Φθόνον ἔκ οἶδα δαίικτόν.

Inde aulicæ potissimum vitæ, summorumque Principum aptus consuetudini reddebatur. Hoc enim ipsis adfirmare poterat:

Οὐ μοι μέλει Γύγαις  
Τῆ Σάρδων ἀνακτος,  
Οὐθ' αἰρέει με χρυσός,  
Οὐδὲ Φθονῶ Τυράννοις.

Inde Polycrati ac Hipparcho carissimum eum fuisse supra (13) commemoravimus. Quorum quidem politissimorum hominum usu mores quoque ejus politiores ac amoeniores factos esse quis dubitet? Inprimis cum bili, aromatico liquore, aliquantum temperatus fuerit ejus sanguis, ne luxu atque aulicorum deliciis plane mores diffuerent. Inde supra aliorum sortem Anacreon

Νόον ἐς Θεῶς ἀεϋθεῖς (14)

& sublimiori mentis impetu actus non spurca nobis sed venustissima carmina reliquit. Tota enim Anacreontis oratio judicio Laurentii (15) morata est, ejusque jucundissimos mores refert. Inde accuratum satis illi nec temere præcipitatum judicium, ingenium alacre & florentissimum, imaginandi vis vividissima, lepidissima, sensus ipsi vegeti satis ac delicatiores; voluntas honestæ libertatis, virtutis non nimis severæ, tranquillæ felicitatis amans; affectus in modicos honores, vitæque jucundas delicias ac gaudia proniores: Inde natæ ipsi sunt odæ, quas habemus, bellissima,

simæ, ab Epico Carmine, quod frustra sæpe Se tentasse scribit, (16) multum alienæ, caractere libero, ingenuo, nativo, nihil coacti affectative habente, deque rebus, quas vel natura edidit, vel ars invenit, suavissimis, venustissimis, gratiosissimis conscriptæ, in quibus omnibus *χαριέντως ἐμαίνετο.* (17)

- (1) Ode IV. VI. XIII. XV. &c. (2) Ode XXXI.  
 (3) Ode XXXIX. XLI. (4) Ode XXVI. (5) Ode XIII.  
 (6) Ode XV. (7) Ode XXIII. (8) Ode IV.  
 (9) Stob. fol. 508. lin. 20, it. 511. Lil. Gyraldus ex Arsenii Collectaneis græcis p. 471. (10) Dict. Crit. pag. 214.  
 (11) Matth. Theatr. pag. 1001. ex Æn. Sylvio. (12) Ode XLII. (13) S. XIX. (14) Ode LI. (15) Commentar. in Hermogen. p. 163. (16) Ode I. & alibi. (17) Sic ipse de se Od. 54.

### §. XXV.

Jam igitur naturæ amoenitates, ver, (1) flores ac rosas, (2) columbulam, (3) cicadam, (4) hirundinem, (5) buculam, (6) vinum, (7) aurum, (8) aliaque describit, verborumq; in his depingendis venustate ipsam naturæ elegantiam æquat, sæpe etiam superat. Jam hominum delicias, foeminas pulchriores, (9) venustiores pueros, (10) amorem ejusq; lusus, (11) amantes ipsos, (12) horumq; indolem *χαριέντως* decantat. Jam picturas elegantiores proxime omnium ad naturæ suavitatem accedentes, & vel amicam suam, (13) vel Bathyllum, (14) vel Europæ iconem, (15) vel Bacchum, (16) Venerem, (17) Apollinem, (18) referentes admiratur, earumque decorem sororia arte, Poësi sua vincere nititur. Has omnes autem res tam suapte natura jucundas plurimum per se venustatis Anacreontis Odis afferre res ipsa docet, & omnes agnoscunt Rhetoricæ Poeticæque artis principes. Aristoteles (19) certe jucundum esse, quod ha-

F

bet

bet vim efficiendæ in animo voluptatis asserit. Gignere autem maxime voluptatem, quæ secundum naturam & consuetudinem sint; lusus item, quietem, somnum, convivia, eaque omnia, quorum cupiditate ducamur, quæ gustu, odoratu, visu, auditu, tactu, mollius nos afficiant, quibus vel fruamur præsentibus sensu, vel præteritis memoria, vel spe futuris. Huc venationes, picturas, Statuariam, amores, amicos, deniq; similes nobis, & grata vicissitudine mutatas res, gloriam, item principatum, & victoriam refert. Idem agnoscit Demetrius: (20) *Sunt hæc quidem, inquit, in rebus charites ac lepores, ceu Nympharum horti, hymenæi, Cupidines, & alia. Hujuscemodi namq; quamvis ab Hippocrate dicta fuerint, lepida sunt, & ipsa res hilaris sua sponte est.* Confirmat id Hermogenes, (21) ubi ad voluptates honestas ac naturæ convenientes refert, κάλλος χωρὶς καὶ Φυτῆρας διαφόρας, καὶ ῥευμάτων ποικιλίας. Ταῦτα γὰρ καὶ τῆ ὕψι προσβάλλει ἡδονὴν καὶ τῆ ἀκοῆ, ὅτε ἐξαγγέλλει τις. Neque diffitentur illud recentiores Clericus, (22) Buhurtius, (23) Vossius, (24) omnesque adeo, quæ sensus afficiunt lenius, sævavia ac venusta esse, quæ libenter audimus ac videmus, eadem oratione explicata pulciora fieri existimant.

(1) XXXVII. LVII. (2) V. VI. LIII. (3) IX. (4) XLIII. (5) XII. XXXIII. (6) Epigr. V. (7) XXV. XXVI. &c. (8) LVI. (9) II. XX. XXXIV. LXIII. (10) XXII. (11) III. VII. X. XLV. &c. (12) LV. (13) XXVIII. (14) XXIX. (15) XXXV. (16) XLIX. (17) LI. (18) LVI. (19) Rhet. L. I. c. XI. Opp. T. II p. m. 304. (20) περὶ Ἑρμην. c. 132. p. m. 121. (21) περὶ γλυκύτητος p. 399 (22) in Parrhasian. Part. I. p. m. 11. (23) Maniere de bien penser Dialog. II. p. m. 132. sq. (24) Institut. Orat. L. VI. c. 7. §. 23. p. m. 302.

§. XXVI.

At in tota Poësi sua nihil fere seipso jucundius ac venustius habet Anacreon. Jam igitur suam indolem tranquil-

quil-

quillioris voluptatis studiosissimam; (1) jam somnia sua (2) & convivia, (3) in omnibus autem fere amores, Bacchique ac Veneris studia describit. Hic quidem facile prævidemus, plurimis illud posse occurrere: Invenustos scil. profanæ Veneris Bacchique foetus temere satis in hac dissertatione inter venustiores Charites referri, amatorias temulenti senis nugas immerito pro dignis ingenuo homine leporibus haberi: Elegans quidem, sed & puerile esse, non nisi flosculos aut aviculas pingere: (4) infani vero, non sobrii hominis non nisi de crapulis suis aut amoribus fabulari. Inde nimirum Gyraldo (5) vini & amoris insatiabilis dicitur Anacreon. Inde Bailio (6) eodem nomine accusatur: *Ce Poëte avoit l'esprit delicat, & il y a des graces & des charmes inexprimables dans ses Poësies: mais il aimoit trop les plaisirs; iletoit d'un temperament si amoureux qu'il lui falloit & des garçons & des filles, & d'ailleurs il aimoit le vin.* Inde Athenæo (7) ἀτοπος videtur ὁ Ἀνακρέων ὁ πᾶσαν αὐτῆ τὴν ποίησιν ἐξαρτήσας μέθης. Sed longa est hæc injuria, plures ambages, quam ut illis occurrere his pagellis queamus. Alibi ad hæc respondebimus, dubiisque B.L. fortasse fatis faciemus. Anacreonti interim honestatis ac sapientiæ famam Plato & Ælianus, duo gravissimi Autores vindicent: quorum ille (8) Anacreontem σοφὸν ipse mortalium facile σοφάτατος appellat; alter (9) vero ejus probitatem agnoscens, μήτις, inquit, ἡμῖν διαβαλλέτω πρὸς Θεῶν τὸν ποιητὴν τὸν Τηϊόν, μηδ' ἀκόλαστον εἶναι λεγέτω. Athenæo autem ipsum Athenæum opponimus: qui eodem, quo paulo superius Anacreontica Carmina ut vinum crapulamque redolentia accusabat loco, addit: τῆ μαλακία καὶ τῆ τροφῆ ἐπιδὲς ἑαυτὸν ἐν τοῖς ποιήμασι διαβέβληται. ἐκ εἰδότην τῶν πολλῶν ὅτι ΝΗΦΩΝ ἐν τῷ γράφειν καὶ ἀΓΑΘΟΣ ὢν, πρὸς ποιεῖσθαι μεθύειν, ἐκ ἕσσης ἀνάγκης. Denique

nobis venustatem Carminum Anacreontis tuentibus illud  
sufficiat: quod in illis saltem, quæ extant, ejus odis & frag-  
mentis, nihil fere occurrat, quod auribus honestis ingratum  
aut injucundum, casto sobrioque homine indignum, aut  
Φιλολόγω Juventuti damnosum sit.

(1) Ode IV. XI. XIII. XV. XXIV. & quam plurimis aliis. (2) Ode  
VIII. (3) Ode XIX. XXI. XXIII. LIX. & c. (4) Casselius in  
Demetr. p. m. 69. (5) Hist. Poetar. p. 470. (6) Dict. Crit. p. 212.  
(7) L. XII. c. 9. 10. (8) in Phædro fol. 340. (9) Var. Hist. L.  
IX. c. IV.

### §. XXVII.

Tam gratam igitur jucundamque sua natura materiam  
tam venusto ac lepido ingenio cum tractarit Anacreon, ec-  
quis de *summo* in tractandis rebus *artificio*, de *pulcherrimo*  
in cogitatis proponendis *modo* dubitare possit? Hic vero  
demum *tres venustissima Charites Logica, Grammatica,*  
*Rhetorica*, continuo Poetæ nostro adstitisse, & cuncta sua  
ornamenta, omnem bene cogitandi loquendique gratiam  
in odaria hæc dulcissima largiori manu certatim contulisse  
videntur. Exhibebimus illarum suavissima dona separa-  
tim dissertatione altera propediem, volente DEO, publice  
exhibenda. Interim æquum Benevoli Lectoris  
judicium expectamus, totosque nos ejus favori  
summa pietate committimus.

## F I N I S.

### Corrigenda.

B. I. b lin. 8. lege πυμάτων. 2. a. lin. 1. leg. ὀδόντας.  
C I. b 1. 5 leg. Σιμων. 2 a lin. 2. leg. ἀεννάων. 3 b lin. 14. leg. παρράα.  
D. I. a lin 26. leg. Pisistratidarum. 2. b. lin. 21 leg. ποιητῶν. 3. a  
lin. 27. leg. cælo. 4. a lin. 1. leg. μελοποιοὶ & ὡσάντως,  
item affectu.

§. I.

## Contenta Dissertationis.

- §. I. Varii in optimis Autoribus dicendi characteres occurrunt.
- §. II. Qui varie a Græcis Latinisq; Rhetoribus distinguntur, tum ratione formæ internæ
- §. III. Tum externæ.
- §. IV. Trium dicendi characterum variæ dantur affectiones.
- §. V. E quibus in hac dissertatione *χαριεντισμός* explicatur.
- §. VI. Quæ styli idea à quibus Græcis Rhetoribus commendetur?
- §. VII. Unde dicatur?
- §. VIII. Quotuplex sit *χαριεντισμός*?
- §. IX. Graviore & grandiore *χαρίτες* ad majestatem & *δεινότητι* pertinent.
- §. X. Leviores ac viliores ad Comicorum lusus.
- §. XI. Mediæ à nobis jam explicandæ.
- §. XII. *χαριεντισμῶ* natura & usus in variis dicendi generibus.
- §. XIII. Variæ ad *χαριεντισμὸν* ideæ Hermogenis concurrunt.
- §. XIV. Penes quos Oratores inveniatat *χαριεντισμός*?
- §. XV. In quibus Historicis potissimum occurrat?
- §. XVI. Poetarum *χαριεντισμός* proprium quasi peculium.
- §. XVII. Inprimis Lyricorum, quos inter excellunt Sappho & Anacreon.
- §. XVIII. Quis fuerit Anacreon?
- §. XIX. Quibus deditus studiis?
- §. XX. Quæ ejus Scripta eorumque præstantiores editiones?
- §. XXI. Quantus in iis omnium judicio *χαριεντισμός*?
- §. XXII. Iste Scriptoribus *χαριεντισμός* *Primo* est ab ipsa Scribentium natura & ingenio.
- §. XXIII. Quam & qualem Poetarum naturam esse deceat?
- §. XXIV. Quæ potissimum Anacreontis indoles?
- §. XXV. *Secundo* is *χαριεντισμός* oritur à materia, quam tractat Anacreon, lepidissima;
- §. XXVI. Suoque inprimis descripto ingenio, notatis deliciis. Ob quas an merito male quibusdam audiat?
- §. XXVII. *Tertio* is *χαριεντισμός* nascitur e modo tractandi, qui altera dissertatione explicabitur.

VIRO CLARISSIMO  
M. JOHANNI DAVIDI  
SCHROEBERO,  
Illustris Lycei Misenenfis  
Con-Rectori meritissimo.

S. P. D.

Præses.

**P**ublice nunc igitur ea scribo, quæ  
privatim Tibi dudum significare  
debui, certe quidem volui, sed lite-  
rarum occasionem commodiorem  
præstolatus hanc denique opportunissimam inve-  
ni. Sæpius enim amoris nostri & Academicæ  
memoriam consuetudinis repetens, eo jucundiori  
perfundebar dulcedine, quo suaviora nobis fue-  
rant ejus principia. In Philobiblico Collegio, di-  
vino quasi viridario, inter sacras meditationes  
primas illa radices agebat; in Ἀνθολογιῶν ipsisq;  
adeo Musarum hortis amœnissime efflorescebat,  
mihique saltem uberes purissimæ voluptatis fru-  
ctus ferebat. O beatas & pulchras horas illas,  
qui-



quibus post Te Fabricios, Gellios, Hilscheros,  
Frickios, Junckeros, Bonickios, pluresque alios  
optimarum studio literarum Clarissimos Viros com-  
plecti mihi licebat, cumque iis lepidissimos sermones  
sociare. Ibi simul divinæ arboris vitæ fructus ad-  
mirati sumus; simul humanæ flores sapientiæ gra-  
tis vicibus læta manu carpsimus. Donec ex alma  
Philyrea Tu quidem fatali nutu ad illustre Misen-  
nense seminarium vocarere; ego inter tiliæ no-  
stras a provido Numine surculos quosdam colendos  
acciperem. Ex eo tempore, credo, utrique nostræ  
illæ literæ requies in labore, in miseria curisque so-  
latium fuere. Illud optatis meis deesse videbatur,  
quod, cum præcipuam ex amicitia Tua volupta-  
tem caperem, me exercere Tecum præsentē hone-  
stissimo certamine mutuæ caritatis, quam ipsa au-  
geret studiorum similitudo, nequirem. Sed ex vo-  
to subinde desiderium Tui meum satiabant præ-  
stantissimi quidam juvenes Tuæ disciplinæ alumni,  
qui meas qualescunq; Philosophicas & Philologicas  
Scholas frequentantes, pignus se mihi quasi, in quo  
tuendo Tui testarer memoriam, tradiderunt. In-  
primis autem Wilischius Tuus, vel potius noster,  
Tua opera formatus, meo in nonnullis ductu usus  
& consilio, Tuam mihi studio suo vivide repræsen-  
tavit

tavit imaginem. In iis enim literis totus fuit,  
quas vos in illustri Misenenfi, rara seculo nostro fe-  
licitate, docetis; nos olim Lipsiae totis viribus exco-  
lebamus. Fructuum igitur ex optimarum literarum  
seminibus sibi enatorum quasdam hac dissertatio-  
ne primitias tenui lance Patronis suis offerre dum  
meditatur; Tuo potissimum Præceptoris sui, ju-  
dicio, conatus suos approbare me interprete voluit.  
Te enim a certo sensu & vero judicare de his arbi-  
tratur: quod aliine faciant, harum contemptu li-  
terarum vel ignorantia etiam impediuntur. Quod  
officium ut optimo juveni bona fide præsto: ita non  
ipsi solum, sed vestro etiam Lyceo gratulor; cui  
exemplum in Te priscae doctrinae solideque conti-  
git. Cæterum ego porro Tuos omni studio atque  
amore prosequar: quos cum Tua manus formave-  
rit, ego sollicitè ornare studebo, & hoc uno tecum  
eodem animo certabo, quo in omnibus obsequi Tibi  
soleo. Tu, quod sanctè Tibi per omnem vi-  
tam polliceor, Tui nobis quoque amoris  
constantiam servabis.



Coll. v. no. A 159 14



